

TV, 101 .

2,15.



IN NOMINE JESU
FESTUM NUPTIALE

VIRI

MAXIME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLISSI-
MI, EXCELLENTISSIMI,

DN. D. ABRAHAM
CALOVII,

Theologi de Ecclesia Christi excellenter meriti, Pro-
fessoris Primarii, Pastoris, Superintendentis Generalis Vigilantissimi, Confi-
storii Ecclesiastici Assessoris Gravissimi, & Collegii Theo-
logici p. t. Decani maxime
spectabilis,

ET NOBILISSIMÆ AC ORNATISSIMÆ
VIRGINIS

CATHARINÆ ELISABETHÆ,

VIRI

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, EX-
PERIENTISSIMI,

B. DN. JOHANNIS NESTERIS,

Medic. D. Celeberrimi, & Serenissimi Electoris Saxoniz
Archiatri meritissimi,

FILIE UNICÆ

Devota Solemnitate

AD DIEM XIII. NOVEMBRIS, a. 1666,
celebrabat

ACADEMIA WITTEBERGENSIS.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS BORCKARDI



CALOVII thalamus sociam quia postulat, ecce;
NESTORIA in viduum gaudet inire torum,
Quæ longos mulcere dies, & amare senectam,
Callet, & ambrosiâ pascere sensa viri,
Qualis in amplexus Regis veniebat Abisag;
Quæ quondam poterat sola fovere senem;
Vivant concordēs & lætum, comprecor, ævum
Texant, quos junxit gratia diva toro.
Hæc verò tecum, CALOVI, transiget annos
Nestoreos: quæ iam nomen & omen habet.

Ita vovet ex animo

Johannes Meisnerus, D.
Academiæ Rector.

Quam Tibi connubio jungit, celeberrime Doctor,
Conjugii Præses præstanti corpore Nympham,
Moribus egregiis, variis & dotibus auctam,
Accipis, atq; tenes, purâ quam mente rogasti.
Hæc dabit amplexûs ac oscula dulcia figet,
Hæcq; (haud vana fides) nutricula blanda senectæ,
Pondera curarum pellet, Tibi dulce levamen,
Quâ cum longævam poteris traducere vitam;
Ergo Tuam constanter ama: sit & ardor amandi is
Mutuus inter vos longævi in Nestoris annos;
Atq; ita concordēs tranquillam ducite vitam.
Et benè confecto Senio conscendite Olympum.

A 2.

Sic

*Sic Witteberga Tibi, sic Lipsia, Dresda, precantur,
Quod tria vota confirmet Trinus & Unus.*

Johannes Andreas Qvenstedt, D.P.P.

Vivas nestoreos annos, volo, SUMME CALOVI,
Hac cum NESTERIDE, Quæ pia Virgo fuit.

JOACHIMUS NERGERUS,
D.& Prof. Pandect. Publ.

*Ad Virum Plur. Reverendum &
Magnificum.*

DOMINUM ABRAHAMUM CALOVIUM
Doctorem & Theologum Cele-
berrimum &c.

*Hactenus Viduum mestissimum,
nunc iterum per Dei gratiam*

SPONSUM felicissimum.

Quam thalami sociam subtraxerat invida tristi
Mors fato, reddit jam nunc manus Omnipotentis.
Omne sat læto, feliciter atque benigne.
Scilicet hæc fors est, hæc omnis vita piorum,
Assiduos inter planctus & mille dolores
Interdum refici, verâ licitaque fruiscei
Lætitiâ, dulci solamine dulcis amoris.
Sint igitur vitæ præsentia gaudia fulcrum
SPONSE COLENDE, Tuæ, ne consumaris iniquis
Continuisque malis, quibus es afflictus abunde
Hactenus, ut dulcis sic sit labor improbus omnis.
Gratia magna Dei nunc præsto est, redditur illa,
Quæ

Quæ virtute suâ castoque placebit amore.
CONJUGIUM FELIX, TORUS UT SIT FERTILIS,
OPTO !

*Domino Compatri, Collegæ & Affini honoratissimo debiti honoris ergò de-
properabat*

Verner Theodorus Martini,

D.P.P. Ser. El. Sax. Consiliar. Consist. Ec-
clesiast. Cur. Provinc. nec non Judicii
Ducalis Infer. Lusat. Adfess.

Conjuge defunctâ, sociam sibi jungit amicam
Calovius, nostræ pulchra corona scholæ.
Omnes gratantur toto de pectore sponso,
Atque novæ Sponsæ prospera quæq; vœvent.
Ipse piis votis addo calidissima vota.
Sospitet usque Deus limen utrumq; , precor.

Ita gratulatur,

Conradus Victor Schneider,

Med. D. PP., Colleg. Med. Senior.

Tandem post varios casus, post nubila tantâ

Auricomus prodit Phœbus, fatigq; serenâ

CALOVII nostri lustrat FELICITER ædes,

Nobilis excipiens thalami par nobile, junctum

Fortunante DEO. Cedant hinc ergo dolores,

Cedant mordaces curæ, mala tristia cedant

Trans mare Carpathium. Succedant gaudia vera,

Gaudia, quæ nullis interrumpenda querelis,

Concordes repleant mirâ dulcedine mentes.

Tu, DEUS, exaudi mea vota, torumq; perenni

Prosperitate bea ! fac, meta doloribus adsit!

Johannes Strauch, D.

A 3

Calovius



Calovius thalamos init & Catharina jugales,
Christe fave tedis, & pater alme, pils.
Tuq; faces affla, spirabile Numen, amoris,
In quas nil Boreas, nil fera possit byems,
Quod fuit Isacida nupta utraq; nata Labanis,
Hoc in Calovium sit Catharina suum,

Michael Wendelerus,
D. & PP.

Lucea Lutheri luteo mens corde vacabat,
Aurea nunc auræ quæ super astra volat,
Conjugium fœdo vitabat fœdere Clerus,
Hoc vetito, magis ut fœtida vita foret.
Sustulit omne tuus calamus, LUTHERE, papalis
Oris opus, cujus Gloria strata jacet.
Noster CALOVIUS calamo quod dogma tuetur,
Non docet id solùm, quod docet, Ipse facit.

gratulab. scrib.

Ægidius Strauch, D.
Colleg. Theol. Assessor
& Histor. P.P.

Ceu Tibi sub manibus nascuntur scripta subindè,
Quæis nova fatali schismata morte feris:
Sic nova sub castis Uxor tibi nascitur ulnus
Et renovat viduum Sponsa subinde Thorum.
Nam modò JOVA pluit; modò blanda fronte serenat,
Ut queat alternis gaudia ferre modis.
Quadruplici viduus Thalamus te morte fefellit
Quintuplici vita Te nova sponsa beat.

Gratu

*Gratulor has cæli succensas Flamine Tadas
Et precor alterno cordis amore micent.*

*Quot libros WITEBERGA Tuos confexerit unquam,
Pignora tot videant secla futura Thori!*

*Magnif. Dn. Sponso Patrono
Honoratissimo voto ac a-
nimo condido scrib.*

*Julius Ernst Schrödter / J. U. D.
Facult. Jurid. Assessor.*

*Q*uæ Deus infligit dilectis vulnera natis,
Ipse ligat, nostræ sola medela crucis.
Divinam testare manum, *Neonymphe Calovi;*
Quæ nuper pressit, jam levat atq; juvat,
Divinâ letare manu. Manus ille potentis
Nestoreos jubeat Te superare dies!

Christianus Trentschius, P. P.

*V*IR MAGNE, quot quantosq; pro nostrâ bæctenus
Fide orthodoxâ pertulisti tam pio
Animoq; strenuo labores; quot sacra
Cum veritatis hostibus certamina
Victor subiisti: quot dolores passus es
Mortesq; dum charissimos & optimos
Tuos & hos quam plurimos concreditos
Tibi, sibi poposcit omnium optimus:
Tot gaudiis, tot amoribus, tot lasibus,
Atq; tot amenitatibus perfundat &
Animum Tuum obruat Tua CATHARINA, mens
Reverentior Dei sui, proba, amabilis,
Perpulcra, dedita quæ Tibi soli & Tuis!
Hac sola delitia tua sit! Hac tuas

Caras

*Curas acerbas dulcet & vitam tuam
Recreet, labores & dolores subleuet!
Hæc, VITA TUA, perennet, & Tu cum Tuâ
Cælum petatis sero, rogo supplex Deum!*

CONSTANTINUS ZIEGRA,
SS. Th. D. P. P.

Ad maxime Reverendum

DOMINUM SPONSUM,
Summi nominis THEOLOGUM,
quintò SPONSUM.

Dum festa Hymenis nunc celebras nova,
Tot ipse tadis prospera comprecor
CALOVIANIS, quot perenni
Flumine depebit Albis undas.

Asfit solutis alma salus comis

Et pax ligatis! candida faustitas

Accedat, oro, nec jugales

Deleat improba Clotho flammæ,

GEORG: CASPAR Kirchmayer /
Eloq. P. P.

Sexta Jovem statio & Venerem dum separat, Astris
Sic placido postis vultus, & utroque benigno
Magnus Conjugio vegetam CALOVIVS ambit
Et sibimet sociat Christiano more Puellam.
Fallor? an ingenio que sidere Flamma coruscat
Ultroque, spem suppeditat socialis Amoris
Insignem, comitesque notat splendoris Amores?
Jupiter adspiciat Venerem, si fronte serenâ,
Dat decus, & lepido nexu connectit Amores.

MICHAEL Strauch /

Mathem. P. P.

SAucius in viduo cubuisti, MAGNE CALOVI,
Lecto conquestus spicula sæva necis.
Spicula, quæis atrox hostis pia pectora lædit,
Dum partem cordis, dimidiamque rapit.
Vulnera jam coeunt, superat medicina dolores,
Quam dedit altipotens coelitus Ipse Deus.
Uttere præsentis, voveo, medicamine felix,
Et solare Tuæ pristina damna Domus!
Abstineat Libitina manus, nec gaudia rumpat,
Quæ Tibi, quæ Domui casta Marita dabit!
Sit torus hicce recens ex omni parte beatus!
Prospera jucundo gurgite quæque fluant!
Sic medicam dextram rectè admovisse juvavit
Vulneri, & hinc poterit prorsus abire dolor.

Ita animitus scribebat

Christophorus Schrödterus,
Ph. & Med. D.

Magni sic iterum celebrantur magna Calovi
Festa, cui thalamo sponsa pudica datur,
Gaudia suscipiunt animis juvenesque senesque,
Signaque lætitiæ, dulcia vota canunt,
Exigit officium. Nec ego jam trena dolori
Laxabo, sed de pectore vota feram:
Vivat Par junctum felici sidere! Vivat!
Ullos nec questus sentiat atque malum.
Conserveit virtute suâ Ter Magnus Jova
Conjugium, & multâ prosperitate beet.

*Debita Observantiæ ergò gratulab.
scrib.*

MICHAEL CLEOPHAS,
Med. Lic.

Ad

B

Ad
Summè Reverendam Et Magnificam
DOMINUM SPONSUM,

Theologorum sincerioris doctrinæ,
quos nostra fert ætas,
facile Principem, fideique veræ Heroem,
probatissimum,

Patronum sanctè usq; devenerandum:

CALOVVarios subiisti pressus amores,
Nunc oritur thalamo NESTORIANUS AMOR.
Fallacesque vices fortunæ expertus abundè es;
Excipit has tandem NESTORIANA FIDES.
Utque thori dederint heu! vulnera tanta priores,
Jam reficit mentem NESTORIANA SALUS.
SIT SPONSUS NESTOR CUM NATA EX NESTORE
SPONSA,
AC PERSTENT FIRME VINCULA CONJUGII!

*hac deferebat submissâ animi con-
tentione*

M. Simon Frider. Frenzelius,
Facult. Philol. Adjunct.

Theologo nostro sociatur amabilis Uxor,
Et viduæ domui dulce levamen adest.
Quæ bona, mens nuptis sancto de corde precatur,
Illa, novis Sponsis, corde calente precor.

Latèb. Et gratulab:

app:

M. GEORGIUS WAGNERUS,
Fac. Phil. Adj.

CALO-

CALOVII Præful, sancti gregis optime custos,
Quàm mutata prior fors Tua sorte nova est!

Candida succedunt, post nubila, fata: iterumque
Numinis adspirat pristinus ille favor.

Humentes deterge genas, vultumque jacentem
Erigito, & latus jam Tua cerne bona.

Cerne bona: Egregiam forma & virtute Puellam,
NESTORIN, in thalamum quam Tibi ducit Amor.

O bene pensatum damnium! sic tristia cuncta
Versa bene! Hæcce Tuo est digna! Puella toro.

Hæc jucunda Tibi, domui, jucunda cubili,
Hæc curis fesso dulce levamen erit.

Hanc cape, ceu facilis dat eam Tibi gratia JOVÆ,
Et restaurati gaudia mille tori.

Confirmant superi bona tanta, ut propria Sponso
Atque piæ Sponse sint maneatque diu.

Omen adest faustum. Sit felix Sponsa feratque
NESTOREOS Sponso NESTORIS ipsa dies.

Sic sit NESTOREUS Calovius, atque vicissim
Tu clueas longum, NESTORI, CALOBIA. (καλέβιος)

M. BALTHASAR STOLBERGIUS,

Fac. Phil. & Grecar. Lit.

P. P. Adj.

Dilm renovat thalamos, castosque resuscitat ignes
Magnus CALOVIVS, cur mea Musa taces?

Est equidem satius taceas, quàm pauca loquaris,
Interdum tamen est & voluisse satis.

Hinc ego, te invitâ, miseram disperdere carmen
Malo, tam festo quàm siluisse die.

Tot

Tot TIBI decurrant, Praesul Venerabilis, albi
Tot letique dies, quot gerit astra polus.
Pulsa nube TIBI tot leta rependat JOVA,
Sanctior est quae oties pagina scripta TIBI.
Absit & ai na dies, quae vis funesta facebant,
Gratiaque in vestro ludat ubique roro.

Cum
Summus Theologus
D. AbrahamaVs CaLoVIVs
denuò conjux esset,

*ita observantiam suam paucis lineis, sed
prolixo affectu, exprimere
voluit*

M. AUGUSTUS Pfeiffer /
Law, Saxo: Fac. Phil. Adj.



Ed 198

ULB Halle 3
002 040 255




Sb

UD 17

mit





22.

IN NO
FESTU

MAXIME REVEREN
MI, EX

DN. D. A

CA

Theologi de Ecclesia
fessoris Primarii, Pastoris, Superi
storii Ecclesiastici Affe
logici p

ET NOBILISS

CATHARIN

NOBILISSIMI,
PER

B. DN. JOHA
Medic. D. Celeberrim

Archi
FIL
Dev

AD DIEM

ACADEMIA

WIT
Typis JOHA

